

695 Trieste, trovata 1656 nel cavar fondamenti alla incenerita chiesa di S. Maria del Mare fuori le mura et porta di Cavana SCUSSA. — Trovata 1550 nella villa di Pedevana (prope Feltriam) e posta nel campanile di S. Rocco con gran dolore degli amatori dell' antichita CORNO.

RVFIVS·CVSTOS·PRO·VOTO·SVO·FIERI
CVRAVIT·PAVIMENTVM·ANNO
D·X·V

Scussa Kandleri p. 14, ed. p. 38. 128, a quo aperte pendet della Croce p. 237. 511, ab hoc qui fraude rettulit inter Feltrenses dal Corno (1710) p. 155. A prioribus Kandler in Istria 1847 p. 38.

2 post CVRAVIT hiatum indicat Corno. — 2. 3 ANNO || D·X·V Scussa et della Croce 511, AN·DXV idem 237, ANN·DXV Corno; LONG·P·DXV emendat Kandler; ego puto fuisse anno [(illo) imperatoris (illius) in]d(ictione) XV.

696 lapis Tergeste alla Madonna del mare rep. 1825 una cum pavimento musivi operis.

VSCVMSV is
notum r EDD IDID

Rossetti musaico scop. in Trieste p. 16 et tab. II.

697 Tergeste in museo.

IN PACE BON
SIMEON SYR
TATEA
ESSV

Descripti.

XII. Ager inter Tergeste Aquileiam Alpes Iulias.

Tergeste cum propter commercium ex Hadriatico ad regiones Darnavianas celebris et sit et fuerit, mirum est viae, per quam Tergestini eo commearint, tam exiguum memoriam superesse; scilicet scribit solus Strabo 7, 5, 2 p. 314: καὶ ἐκ Τεργέστε κώμης Καρρικῆς ὑπὲρθετικῆς ἐστὶ διὰ τῆς Ὀκράς εἰς ἔδος Λούγρον καλούμενον significatque praeterea Velleius 2, 110 ea aetate plerumque ad Pannonios iter factum esse per Tergeste et Nauportum. Oeram montem constat esse partem Alpium Iuliarum maxime depressam (*Birnbaumer Wald*), item Nauportum ibi fuisse ubi nunc est Oberlaibach; paludes Lugeae igitur videntur indicari eae quae sunt ad Laibacum vel hodie notissimae. — Saepius ut par est (nam Aquileiam ea aetate longe magis floruisse quam Tergeste nemo ignorat) memoratur via similis ab Aquileia ducens Nauportum et Emonam relata etiam in itineraria, unde quae huc pertinet partem Cisalpinam subscripsimus:

<i>Itin. Ant.</i> p. 128:	<i>Itin. Hierosol.:</i>	<i>Peutingerana:</i>
Aquileia	Aquileia	Aquileia
	XI	XIII
XXXVI	ad Undecimum	
	XII	ponte Sonti
	ad Fornolus
fluvio Frigido	XII	fluvio Frigido
XXII	castra; inde surgunt Alpes Iuliae	XV
	VIII	
	ad Pirum; summas Alpes	in Alpe Iulia
	X	V
Longatico	Longatico	Longatico

Ex his pons Sontii memoratur in historia belli gesti a. 489 inter Odoacrem et Theodoricum, qui ex Illyrico veniens illum primo viciniam Venetiarum fines ingressus ad pontem Sontii testibus Cassiodorio var. 1, 18 et chr. ad h. a. et anonymo Valesiano c. 50 et fastis chronographo a. 354 adiunctis ad a. 490 et Iordane c. 57. Fluvium omnes dicunt Sontium excepto chronico Cassiodori, ubi est Isontius; eundem esse ad quem substitit Maximinus distantem ab Aquileia m. p. XVI (Herod. 8, 4), recte observavit Cluverius p. 187. Pontem autem eum ipsum videri, quem una cum via Gemina a porta ad eum ducente restituit idem Maximinus imperator c. a. 235 p. C., demonstrabitur in miliaris. Ad fluvium Frigidum devicit Theodosius Eugenium a. 394 testibus Claudiano (in tertium cons. Honorii v. 99: *Alpinae rubuere nives et Frigidus amnis mutatis fumavit aquis*) aliisque. Sontius hodie quoque nomen retinet; Frigidus fluvius is est qui nunc dicitur Wippach. — Tertia denique, quae per has partes transit, via est quae ducit Aquileia ad Timavum, quo numerantur m. p. XII secundum itinerarium Antonini p. 270. 273. Ibi bivium est procediturque dextrorsum m. p. XII (secundum itin. Ant., XIII secundum Peutingeranum; non recte Plinius 3, 1, 28 Aquileia Tergeste numerat m. p. XXXIII), per castellum Pucinum vino nobile (Plin. 3, 1, 28 cf. 14, 6, 59. 60. 17, 4, 31 et Ptolemaeus 3, 1, 28) quaerendum circa Nabresinam, ad coloniam Tergeste. Sinistrorsum vero itur Tarsaticam (cf. vol. 3 p. 388) per mediterranea Histriae

et Dalmatiae stationibus his indicatis in solo itinerario Antoniniano p. 273: fonte Timavi — m. p. XII — Avesica — m. p. XVIII — ad Malum — m. p. XVII — ad Titulos — m. p. XII — Tharsatico. Hae ignotae sunt omnes; incidit autem in hasce partes vicus Materia, unde prodiit titulus memorabilis n. 698 qui nominat agrum nescio quorum Rundictium, in hoc caput, licet loco fortasse non suo, relatus maxime ob eam causam, ut in confiniis Italiae Dalmatiae Pannoniae reperti tituli ne cum Histricis certis confunderentur. Contra clara et ampla memoria superest Timavi sive fontis (itin. Ant. l. c.; Peutingerana; Vergilius Aen. 1, 244; Plin. 14, 6, 60; Vibius Sequester p. 22 Ob.; cf. Strab. 5, 1, 8 p. 214) sive lacus (Liv. 41, 1. 2) sive stagni (Claudian. de tertio cons. Honorii v. 120) sive fluvii (Plin. 2, 103, 225. 229. 3, 18, 127; Posidon. apud Strab. 5, 1, 8 p. 215), quippe coniuncti cum antiquis fabulis Argonautarum (Martialis 4, 25; 8, 28, 7), ut ipse Hister inde olim prorumpere crederetur in Hadriaticum (supra p. 41: Posidon. l. c. collato Strabone 6, 2, 9 p. 275 et Plinio 3, 18, 127), nobilitatque cum sacrario Diomedis ipsi fonti cognomine (Strab. 5, 1, 8 p. 214) tum Livii annalibus carminibusque Vergilii (Aen. 1, 244; georg. 3, 475; ecl. 8, 6). Hic sufficit remisisse lectores ad praeclaram de Timavo Cluverii expositionem (p. 189 sqq.) et ea adscripsisse, quae magis spectant ad res nostras. De loco Timavi constat cum per numeros itinerariorum tum propter naturam locorum singularem et antiquis relationibus congruam. In agro Aquileiensi Timavum fluere diserte scribunt Sequester l. c. et Plinius h. n. 2, 103, 225 et Martialis 4, 25; denique Aquilis fluvius nominatus apud unum Zosimum 5, 29 (non curamus enim qui male eum complavit Sozomenum hist. eccl. 1, 6, apud quem Aquilis adeo influit in Eridanum) videtur esse ipse Timavus. Fontes ibi fuisse calidos Plinius auctor est (2, 103, 229. 3, 25, 151) et sunt ibidem hodie, unde balneae quoque et nunc sunt ibi et fuisse aetate Romana significant turres duae adpictae in Peutingerana.

Tituli in his partibus incultis et horridis reperti sunt perpauca nec magni momenti. Duo n. 703. 704 docuerunt aetate liberae rei publicae stetitisse ultra Timavum aedem Minervae dedicatam a sociorum portitorum sive servis sive libertis; quod tuto referemus ad fines Italiae Galliaeve Cisalpinae qui fuerunt ante Augustum. Aliam aedem Spei Augustae dedicatam esse ad ipsos fontes Timavi declarant tituli n. 706. 707. 708. Denique publici aedificii titulus fractus legitur n. 713. Reliqui vero qui hoc capite eduntur sive sacri sive sepulcrales argumenti sunt mere privati.

Proprie ad hunc tractum pertinent commentarii tres hi: Iovitae Rapii vel Iacobi Valvasonis de thermis ad Timavi ostia commentarius insertus syllogae sic inscriptae 'de balneis omnia quae extant apud Graecos, Latinos et Arabas scriptores' (Venetiis apud Iuntas 1553 fol.) f. 307; Memoria delli sigg. abb. G(iuseppe) B(erini), L(eonardo) B(rumati), G(ian) B(attista) V(atta) intorno a tre iscrizioni Romane nel muro della chiesa di S. Giovanni di Duino (Udine 1820. 4. pp. 14); Iosephi Berini indagine sullo stato del Timavo e delle sue adiacenze (Udine 1826. 4. pp. 64). In topographiam solam inquit Kandleri discorso sul Timavo in nuptiis Guastalla-Levi celebrandis editus Tergeste a. 1864.